

Hinc inferes, regulariter interrogandos esse Pcenitentes de qualitatibus objecti veneri, circa quod morose delectati sunt; nec sulfocere, si simpliciter dicant se delectatos fuisse in materia venerea, aut circa aliquam mulierem, sed explicare debent, an mulier sit conjugata, aut consanguinea, aut monialis &c. Dixi, *regulariter*; quia, si probabilis constet non adfuisse consensum in opus, nec proximum illius periculum, ut contingere potest Pcenitentibus timorata conscientia; qui, cum non soleant his obscenitatibus voluntate immorari, sæpe tamen dubitant, an non irreperit consensus in delectationem, aut si consenserint, certo tamen sciunt, & affirmant se non consensisse in opus externum, nec illud desiderasse; talibus, inquam, puto probabilis iuxta secundam Sententiam sufficere, si simpliciter se accusent, vel sub dubio, vel certo de consensu in delectationem, absque eo quod cogantur explicare conditiones objecti; explicato tamen voto proprio, si forte eo teneantur.

§. IV. *Resolvuntur plures difficultates circa eandem Materiam.*

Petes 1. Utrum peccet sponsa, vel vidua de copula carnali futura, aut præterita oblectans?

R. Si sponsa de futuro delectetur secundum rationem, & non carnaliter, de copula ut futura, & legitima, non peccat saltem mortaliter. Si vero delectetur carnaliter de copula futura quidem, sibi tamen per imaginationem præsentem, peccat mortaliter. Idem dic de vidua respectu copulæ præterite. Ratio est; quia in 1. casu delectatio est de copula, quatenus erit, aut fuit licita. In 2. de copula ut præsentem, quæ est illicita. Possunt ergo sponsus, & sponsa gaudere, quod suo tempore exercebunt legitime actum conjugalem, sive illud gaudium sit propter sanitatem recuperandam, sive propter meliorem conditionem temporalem, sive etiam propter voluptatem intra fines matrimonii percipiendam. Similiter viduus, & vidua, quod exerceant; seclusa tamen pro tunc omni commotione voluntaria.

Petes 2. Quid censendum de delectatione morosa inter conjuges ab invicem absentes? R. probabilis videtur delectationem veneream de copula in conjugate absente esse peccatum mortale. Ita Sylvester, Navarrus, & alii contra Cajetanum, Med. Less. & plures alios. Prob. Delectatio venerea ea est, quæ habetur cum carnis commotione; atque hæc carnis commotio in conjugate absente non ordinatur ex natura sua ad copulam, sed ad pollutionem, eoque quod, ut dicam infra de tactibus, nihil censeatur conjugale, & ordinarium ad copulam, nisi fiat inter conjuges; unde, sicut tactus, aut aspectus impudici solitarii in conjugate absente sunt peccata mortalia, idem prorsus videtur dicendum de illa commotione delectante.

Dices: Delectatio de copula etiam in conjugate absente est de actu, & objecto licito: ergo est licita. R. D. Ant. est de actu licito cum commotione illicita, Transcat; cum commotione licita, N. Si ergo non ratione delectationis præcisè non sit illicitum in casu posito delectari, saltem ratione commotionis annexæ tendentis ex se ad pollutionem, & non ad copulam in conjugate absente.

Ins. Commotio illa est de se indifferens ad pollutionem, aut ad copulam: ergo potest à conjugate absente ordinari ad copulam. R. N. Ant. cum enim talis commotio solitaria, sicut & ipsi tactus, & aspectus solitarii in conjugate absente non sint actus conjugales, ex natura sua non ordinantur ad copulam, sed ad pollutionem, nisi forte paulo ante copulam acciderent, quæ enim sunt ex incontinenti, moraliter simul fieri censentur.

Repones: Commotio illa est effectus copulæ licite habitæ, vel habendæ: ergo. R. 1. Id nimis probare; probaret enim licere sponsi delectari veneream de copula futura, & viduis de præterita. R. 2. D. Ant. est effectus copulæ licite, tendens tamen hic, & inde ex se ad pollutionem, C. secus, N. Vide, quæ dicam infra de tactibus inter conjuges.

Petes 3. Utrum, qui vellet fornicari, aut morose delectari, tangi, vel tangere impudicè, si liceret, sit reus lethalis luxuriæ? R. Negative: quia, ut suppono, non vult actu fornicari, neque actu delectari, sed vellet tantum, delectaretur tantum, si liceret. Hoc autem nihil aliud exprimit, quam cogitationem de voluntate, seu delectatione, non quæ sit, sed quæ esset de fornicatione, si purificaretur à sua malitia, à qua cum non possit purificari, ideo non vult de facto, neque de facto delectari de ea. Cum autem talis voluntas in hac hypothesi non foret mala, cogitatio de illa non est etiam mala, nec proinde malus est

voluntatis consensus in illam cogitationem.

At si, sic cogitando, aut loquendo, actu vellet fornicari, aut actu delectetur de fornicatione, certum est, quod peccet mortaliter; quia objectum talis voluntatis, aut delectationis actualis est fornicatio intrinsecè mala, non obstantè posita conditione, quæ nihil de facto mutat in re. Idem cense, si sic cogitando, aut loquendo cupiat de facto fornicationem esse licitam: quia hoc est velle inversionem ordinis, & legis naturalis, quod est quid gravius, quam velle de facto fornicari; sicut est gravius velle Regem à suo Principatu dejicere, quam ejus præceptum transgredi. Idem dic de omnibus, quæ sunt intrinsecè mala. At si agatur de re mala quia prohibita, contrarium est dicendum: ut si quis, v. gr. cupiat non esse prohibentur matrimonium in tertio, & quarto gradu consanguinitatis, ut possit nubere consanguineæ: non enim videtur grave malum velle affectu inefficaci non esse talem legem: sicut nemo damnat peccati mortalis esse, qui fame urgente cupit non esse tali die jejuniū.

Ex dictis inferes 1. eum, qui dicit, si non essem Religiosus, inirem matrimonium; si hæc mulier non esset conjugata, vellem eam habere uxorem; seclusa actuali delectatione, non peccare mortaliter; quia istæ conditiones absterunt malitiam objecti sub his conditionibus voluti. Imò nec peccaret mortaliter, qui actu vellet non esse Religiosus, aut talem mulierem non esse conjugatam; quia non est Juris naturæ, quod sit Religiosus, neque quod mulier sit conjugata. Dicam tamen cum Cajetano v. *Peccatum*, similia desideria fatuas esse, ac *diabolicas tentationes*, & peccata saltem venialia, sive propter otiositatem, & vanitatem, sive propter periculum actualis delectationis venereæ.

Inferes 2. e contra, eum, qui dicit, fornicarer, si non essem Religiosus, si non timerem infamiam, si non esset infernus, peccare mortaliter, si hæc esset optativè, & revera sit talis ejus præsens voluntas fornicandi posita ista conditione; quia, quamvis poneretur, non abstergeret malitiam fornicationis: secus, si sic loquatur enuntiativè, ita quod significet, non actualem voluntatem, sed tantum propensionem naturalem voluntatis ad fornicationem, nisi obstaret talis conditio: quasi diceret: talis est fragilitas mea, ut si me non deterreret sublimitas status mei, tentationi succumberem: tunc non est peccatum, sed propria infirmitatis confessio.

Nota hic: Quamvis Auctores videantur inter se contrarij circa præsentem difficultatem, si tamen attentius legantur, idem sentiunt; qui enim volunt desideria conditionata de se intrinsecè mala esse illicita, supponunt, quod actu voluntas feratur in illam sub ista conditione, seu de e actu delectetur, & hoc verè malum est, ut dixi. Qui autem negant esse illicita, supponunt non esse actualem volitionem objecti, nec actualem delectationem de illo, sed forè tantum, si purificaretur conditio, actu autem esse tantum consensum in cogitationem de volitione, quæ esset, si poneretur conditio, quod non est malum, quando conditio, si poneretur, abstergeret malitiam objecti. Nota insuper: quod, quæ hic usque diximus de delectatione morosa, & de desideris conditionatis in materia luxuriæ, extendenda sint ad omnes alias peccatorum materias, nisi quod sit majus periculum, & frequentior lapsus in materia, quam in aliis.

ARTICULUS XVI.

De Impudicitia Tactibus, Oculis, Amplexibus, Aspectibus, Turpiloquiis, &c.

NOta 1. Oscula, tactus, aspectus, &c. posse considerari tripliciter. Per se, & secundum speciem. 2. Ratione causæ motivæ, seu finis extrinseci, qui dicitur etiam operantis. 3. Ratione affectus, seu finis intrinseci, qui dicitur etiam finis operis. Finis autem extrinsecus, seu operantis, potest esse, vel honestus, & licitus, ut urbanitas, amicitia, &c. vel venialiter malus, ut curiositas, vel moraliter malus, ut delectatio. Attamen nota 2. Non omnem delectationem esse moraliter malam: potest enim hic distingui triplex delectatio: una honesta, & amicabile, quæ exurgit, v. gr. ex occurso, seu presentia, amici, & restitutione ejus, aut nostræ amicitia. Altera sensualis, seu organica, quæ oritur ex conformitate sensus ad sensibile, v. gr. visus ad visibile, tactus ad tangibile, auditus ad audibile, &c. Tertia venerea, quæ est cum commotione carnis circa genitalia, & spirituum generationi deservientium, ut supra diximus. Tandem os-

DE TEMPERANTIA &c.

cula, tactus, aspectus, ex parte objecti, alia dicuntur honesta, quæ fiunt in partibus corporis honestis; alia inhonesta, quæ fiunt in pendendis, aut vicinis partibus.

Dico, (*Hic q. 154. a. 4. o.*) Oscula, amplexus, tactus, aspectus, &c. quacumque etiam in partibus inhonestis facta, per se & secundum suam speciem non sunt peccata. Quia, quod est secundum se peccatum, nunquam potest esse licitum; hæc autem possunt licite fieri, ut omnes concedunt, & dicam modo: ergo. Ita communiter cum Auctore.

Dico 2. (*Ibid.*) Oscula, amplexus, tactus, aspectus, &c. quantumvis leves, & in partibus honestis, si fiant ex, seu cum affectu delectationis venereæ sunt peccata mortalia. Ita etiam communiter cum Auctore. Ratio est; (*Ibid.*) quia, ut dictum est supra de delectatione morosa, non solum consensus in actum mortalem, sed in delectationem actus mortalis est peccatum mortale; atque hic habetur consensus in delectationem actus mortalis: ergo. Prob. Minor, vel illa delectatio, cum qua, aut propter quam fiunt hi actus, est de ipsa copula, aut pollutione representata, & sic certo est delectatio peccati mortalis; vel est de ipsa commotione venereæ, quæ ex illis actibus oritur, & sic est etiam delectatio peccati mortalis, quia hæc commotio est ejusdem rationis, & moris cum ea, quæ est in copula, vel pollutione, ad quam per se tendit contra ordinem naturæ, cum a natura sit ordinata ad solam generationem in actu conjugali: ergo. Nec obstat, quod forè commotio sit levis, quia, ut dixi supra, non datur levis materia in re venereæ directè in se volta.

Hinc inferes, eos graviter hallucinari, qui, cum præfatos actus leves exercent sub prætextu urbanitatis, aut amicitie, putant se a peccato immunes, si delectationi carnali inde exurgenti afficiantur. Peccant certo mortaliter, si non ratione istorum actuum præcisè, saltem propter consensum in delectationem veneream ipsos comitantem. His duabus conclusionibus generalibus præmissis tanquam præambulis, ad particularia descendo. Unde

Dico 3. (*Ibid.*) Oscula, amplexus, tactus, aspectus in partibus honestis, facta causa urbanitatis, amicitie, pacis, reconciliationis, & similibus, secluso consensu in delectationem, si inde exurgat, aut consensus periculo, sunt licita. Ita communiter cum Auctore. Patet, non solum ex usu generis humani, & minoribus primorum Christianorum, qui solebant etsi diversi sexus se osculo salutare, juxta illud 1. ad Thessal. 5. *salutate fratres in osculo sancto*; sed etiam ratione: quia tales actus non sunt ex se turpes, turpitudinis nulla intenditur, aut admittitur, ut suppono, finis insuper est honestus, & legitimus, scilicet testimonio unionis animorum, amicitie, benevolentie, &c. ergo.

Unde etiam est licita delectatio honesta, & amicabile ex his amicitie signis proveniens; sicut enim licitum est delectari de amicitia, benevolentia, pace, ita & de ejus signo, restitutione, & usu; quia, ubi actio aliqua est licita, est etiam delectatio ipsi annexa. Ita Sylvius hic, Loth & alii. In his tamen servanda est decencia status: non autem decet Ecclesiasticos, maxime Religiosos, his signis testari suam amicitiam erga personas alterius sexus.

Dico 4. Præfata oscula, tactus, aspectus, &c. in partibus honestis ob solam delectationem sensualem, seu organican facta, non sunt peccata, saltem mortalia; sunt tamen periculosa. Ita S. Antonin. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 9. Navarr. Less. Sanchez, Gabriel, Molanus a. Graffius, Azor. Filluc. & alii, quos citat, & sequitur Sylvius hic conclus. 4. contra Cajetanum. Prob. (*Ibid. q. 15. de verit. a. 4. o.*) Ea sola oscula, tactus, aspectus sunt libidinosi, & consequenter peccata mortalia, quæ fiunt propter delectationem peccati mortalis; atque ea, de quibus agitur, non fiunt propter delectationem peccati mortalis: ergo. Major communiter admittitur cum Auctore; & ratio evincit: consensus enim in delectationem sequitur naturam delectationis, & ideo, si delectatio non sit de peccato mortali, nec erit mortalis consensus in illam. Minor etiam patet. Non enim hic agitur de delectatione, sive fornicationis, sive commotionis carnalis, sive aliorum actuum venereorum, sed solum de delectatione orta ex convenientia sensus ad suum objectum, ut auditus ad vocem sonoram, visus ad pulchram imaginem, tactus ad rem mollem, teneram, &c. quam naturæ operationibus sensum annexit, & quam nemo unquam dixit esse secundum se moraliter malam, quin nec venialiter, sed indifferenter; quam si quis referat ad bonum finem erit bona; si propter se quaeratur, erit venialiter mala, quia operatio non est a natura instituta propter delectationem, sed delectatio propter operationem, ut alibi jam dixi: ergo.

Theol. Billuani. Secunda Secundæ.

Confirmatur 1. Nemo peccati, saltem mortalis, damnatur nutrices, aut ancillas, quæ seclusa delectatione carnali, aut turpi intentione, tangunt, osculantur molles infantium carnales; atque tamen adest ibi delectatio sensualis, & organica: ergo.

Confirmatur 2. Comedere, & bibere ob delectationem gustus est agere propter delectationem sensualem, & organican; atque id nemo damnatur peccati mortalis: ergo nec tangere, aut osculari propter eandem delectationem.

Dixi: *Tamen periculosa*: quia facile confunditur delectatio sensualis cum venerea, & facilis est ab illa ad istam progressus, propter sympathiam, & affinitatem utriusque. Quapropter, si tactus, & oscula præsertim ob delectationem sensualem morose fiant, aut pluries eodem momento repetantur non facile excusarem a mortali; quia sic facta videntur non leviter influere in commotionem, & delectationem vicinam, nempe veneream.

Dico 5. Præfata oscula, amplexus, tactus, aspectus in partibus honestis, facta ex levitate, joco, curiositate, & alia simili causa, non excedunt peccatum veniale. Ita Sanchez, Bonac. Filluc. quos citat, & sequitur Sylvius hic. Conclus. 2. Item Navarr. in Man. c. 14. n. 42. Layman, Loth, & alii communiter. Ratio est; quia hujusmodi actus non sunt secundum se mali; alius, ut dictum est, nunquam liceret, sed sunt mali tantum ex causa: ergo non sunt mali plusquam causa; atque causa vel levitatis, vel joci, vel curiositatis, aut similis, non est mortaliter mala: ergo.

Dico 6. Oscula, & tactus alieni corporis diversi sexus in partibus genitalibus, aut vicinis; sive immediatè, sive mediante solo indusio facta, etiamsi ex levitate, joco, curiositate, aut simili causa, seclusa urgente necessitate, sunt regulariter peccata mortalia. Idem dic de tactibus immediatis ejusdem sexus, & de aspectibus etiam immediatis diversi sexus. Quia hæc omnia graviter influunt in copulam, aut pollutionem, seu saltem in gravem commotionem carnalem.

Dixi 1. *Regulariter*; quia sunt quidam casus, qui possunt excusari a mortali; pro quibus vide infra corollarium §. 6. & 9. Dixi 2. *Alieni corporis*; quia tactus, & a fortiori aspectus proprii corporis, aut etiam aspectus alieni ejusdem sexus, non ita movent ad libidinem, ut dicam infra. Dixi 3. *Seclusa urgente necessitate*, ut est necessitas mendandi in partibus secretioribus, aut inserviendi aegrotis, vel in balneis, quamvis longe satius foret ad hæc ultima officia assumere personas ejusdem sexus; quia hi tactus, aut aspectus apprehensi ut media sanitatis, aut necessitatis non ita phantasmam & carnem commoveant: quod si ex alia subrepente apprehensione delectabili graviter commoveant, hoc est per accidens ex miseria naturæ, & præter intentionem agentis, cui, cum habeat justam causam illos actus ponendi, non imputatur affectus secutus.

Insuper, dato etiam quod hi actus per se influant in commotionem, habent nihilominus alium effectum bonum æque immediatum, qui potest intendi, magis permissum, ut dixi supra a. 11. de pollutione, vide. Intelligi semper modo absit periculum consensus in ipsam delectationem veneream inde ortam.

Dices: S. Th. hic a. 4. o. docet, ea sola oscula, aut tactus esse peccata mortalia, quæ sunt libidinosi; & ea sola esse libidinosi, quæ fiunt propter delectationem peccati mortalis, v. gr. fornicationis: ergo, quæ fiunt propter jocum, curiositatem, levitatem, aut alios similes fines non mortales, etsi in partibus secretis, non sunt libidinosi, nec consequenter mortalia. R. D. Ant. Quæ fiunt propter delectationem peccati mortalis, Ly *Propter* dicente finem operantis tantum, N. Ly *Propter* dicente finem operantis, vel operis, C. Finis autem operis, seu intrinsecus in talibus tactibus & oculis inhonestis est vel copula, vel pollutio, vel gravis commotio carnalis, ad quam directè tendunt, & in quam graviter influunt. Unde, qui tales actus vult absque justa causa, censetur velle finem intrinsecum, seu affectum illorum. Quapropter neganda est consequentia. Nec obstat, quod S. Th. faciat paritatem in eo, qui dat eleemosynam, ut inducat aliquem in hæresim; quia S. Doctor ponit exemplum in eo, quod est notius. Vide Cajetanum hic.

Conjectaria præcedentis Doctrinæ.

EX his conclusionibus colliges. 1. Quod commotio carnalis prævisa & orta ex oculis, tactibus, amplexibus, aspectibus, secundum tertiam conclusionem factis, non

non sit culpabilis; ex factis secundum quartam, & quintam, sit venialiter culpabilis, secluso in utroque casu consensus periculo; ex factis secundum sextam conclusionem sit mortalis. Pro quo vide articulum 11. de pollutione indirecte voluntaria. Colliges 2. Virum, qui ex levitate, joco, &c. osculatur foeminam in facie, faciem ejus, collum, scapulas manu tangit, manus comprimit, digitos, aut brachium contorquet, & similia, non nisi venialiter peccare, similiter de foemina respectu viri. Idem puto dicendum de osculo oris ad os; nisi fiat valde morose, aut sapius in eodem temporis articulo repetatur crispatis, & gustatis labris, aut nisi sit columbinum, immissa scilicet lingua unius in os alterius, & sic enim factum quamvis ex joco, aut levitate, aut etiam ad contestandam amicitiam, videtur graviter influere in commotionem carnalem, ideoque non excusandum a peccato mortali. Navarrus in Manuali c. 14. n. 42. excusat a mortali tactum mammillarum ex joco, & honesto amore, absque mala intentione, quamvis, inquit, si serid fieret, aliud dici deberet. Ego puto cum pluribus aliis, posse a mortali excusari, si leviter fiat in parte superiori; secus, non.

Colliges 3. Virum, ex levitate, aut joco tangentem obiter mulierem e regione pudendorum supra vestes a mortali posse excusari, quia id graviter non videtur influere in commotionem carnalem. Colliges 4. Mulierem, quae etiam absque affectu libidinoso permittit se tangi in partibus pudendis, aut vicinis, item morose in mammillis peccare mortaliter; quia non solum sic tangere, sed etiam sic tangi multum influit in venerem. Colliges 5. Impuberes ejusdem sexus se impudice tangentes ex joco, aut levitate posse a mortali excusari, quia talis tactus inter hujusmodi, ut plurimum adhuc veneris expertes, non videtur multum influere in commotionem carnis; secus, videntur oppositam rationem, si fiant inter puberes etiam ejusdem sexus, nisi forte fiant valde obiter, & leviter juxta Sylvium hic conclusione tertia, & quosdam alios; quia sic non videtur graviter commovere naturam. Colliges 6. Ancillas, nutrices, &c. dum infantes lavando, spoliando, induendo, & aliis, eorum pudenda ex levitate, aut curiositate tangunt, ordinariè non peccare mortaliter; quia id non influit graviter in venerem: nullo autem modo peccare, si id ex necessitate faciunt, secluso semper affectu libidinoso. Colliges 7. Eum, qui seipsum tangit in verendis ex joco, levitate, aut curiositate excusari communitè a mortali: quia proprii corporis tactus minus movet, quam alieni: caveat tamèn a morositate, & frequentiori repetitione absque causa, sic enim factus videtur non leviter excitare venerem: si autem id fiat ex rationabili causa necessitatis, vel utilitatis, ut melendi, mudandi, &c. vacat omni culpa. Colliges 8. Eos, qui citrà necessitatem tangunt genitalia pecorum grandiorum, licet ex joco, levitate, aut curiositate, etiam absque affectu libidinoso, committere peccatum mortale, quod spectat ad bestialitatem; quia tales tactus notabiliter commovent venerem. Dixi: citrà necessitatem; quia, si necessitas adsit, puta ad medendum, aut ad eos copulandos, secluso affectu libidinoso, culpa vacat. Dixi etiam: pecorum grandiorum; quia minorum animalium, ut catulorum, felium, &c. genitalia tangere ex levitate, joco, curiositate non videtur graviter commotivum naturae, ideoque non esse mortale. Quod quidam etiam concedunt, etsi agitantur usque ad seminis effusionem, id tamen non non videtur vacare periculo.

Petes circa 4. corollarium, quomodo debeat se gerere mulier, quae tangitur a viro? R. Si tangatur in partibus inhonestis, debet omni modo moraliter possibiliter tangentem repellere. Moraliter autem dicitur impossibile, quod adhiberi non potest absque incommodo tali, quod praeponderet, aut saltem sit aequale perpeccioni hujus tactus, quae foret periculum mortis, infamiae, gravis jacturae bonorum, & similia, si tangenti resisteret: in quibus casibus juxta Lessium libr. 4. c. 3. n. 64. & Loth, non teneretur mulier tactui exteriori resistere; quia talis tactus secundum speciem non est malus ex parte mulieris, sicut foret fornicatio; si tamen libidini interiori consentiendi periculum absit; quod cum ego rarissimum, & difficillimum existimem, etiam arbitror mulierem regulariter teneri resistere omni modo possibili, & licito, quicquid ipsi imminet. Si autem tangatur mulier in partibus honestis, sed advertit animum libidinosum tangentis, distinctione opus est. Vel tangitur praesentibus aliis, qui ex resistencia mulieris pravam de tangente, seu amplectente suspicionem conciperent, vel non. Si primum, non tenetur se subtrahere; quia subest causa negligendi alterius peccatum; si secundum, tenetur, quia tenetur impedire peccatum proximi,

quando commodè possumus. Ita Sylvius hic conclusione 1. & alii.

Specialia circa Aspectus.

Nota, Aspectum esse sensum magis elevatum, & minus materiale, quam tactum, minusque ideo movere ad libidinem: quo tamen non obstante, dixi in sexta conclusione, aspectum deliberatum partium pudendarum, aut vicinarum diversi sexus, quovis sine fiat, excepta necessitate, esse peccatum mortale, quia graviter influit in venerem: juxta enim majorem, vel minorem influentiam in venerem, seclusa prava intentione, malitia aspectus, sicut & tactus, est pensanda. Ex quo principio, & statuis conclusionibus.

Colliges 9. aliquos non improbabiliè excusare a mortali eum, qui ex curiositate, aut levitate admodum leviter, & obiter, aut e loco remoto videret pudenda alterius sexus; quia talis aspectus non videtur multum commotivus. Idem dic, si, aspiciens etiam non ita leviter, nec eminus, sit puer, aut valde senex, vel aliunde frigidissima complexions, in quibus propterea videtur abesse periculum commotionis carnalis. Ita Sylvius hic post Sanchez, Bonac. &c. Idem a fortiori est dicendum de aspiciente infantes nudos etiam diversi sexus; id enim parum movet.

Colliges 10. esse peccatum lethale ex curiositate, vel levitate aspiciere virum, & foeminam coeuntes, quia id est valde provocativum libidinis: secus, propter oppositam rationem aspiciere animalia coeuntes, aut eorum genitalia.

Colliges 11. aspiciere ex curiositate, vel levitate faciem, crura, collum, humeros, pectora nuda mulieris non esse ex se peccatum mortale, secundum Sylvium hic conclus. 4. Etiam si id fiat cum delectatione organica ejus plicitudinis, albedinis, &c. Si enim haec tangere non sit mortale, a fortiori, nec aspiciere. Puto tamen aspectum morosum pectoris nudi, cujus nec tactum simpliciter, & absolute existimus a mortali, non carere periculo, & quem ideo non facile excusare a mortali.

Colliges 12. aspectum non valde morosum ex curiositate, aut levitate pudendorum ejusdem sexus, ut contingit inter viros simul natantes, aut inter foeminas simul se lavantes, non esse mortale; quia non graviter provocat ad libidinem; secus puto, si sit valde morosus. Nota hic: quod, cum ex nationibus in locis publicis, in quibus natantes videri possunt a personis diversi sexus, multa & gravia mala oriuntur, lethaliè peccant, & natantes, & nati, quibus eorum cura incumbit, ut sunt parentes, & Magistratus, si eas non prohibeant, nec impediunt. Imò recte monet recentior Theologus non expedire, ut adolescentis similis nant; nisi secretioribus partibus cooperis, propter multas spurcicias, quae alias committi solent.

Colliges 13. aspiciere seipsum in partibus secretioribus ex levitate, aut curiositate non esse peccatum mortale juxta Sylvium hic & communitè; quia propria minus movet, quam aliena. Cavendum tamen a nimia morositate, aut frequentiori repetitione absque causa; id enim indicat affectum libidinosum. Aspiciere autem propter necessitatem, vel utilitatem nullum est peccatum.

Colliges 14. aspiciere obiter ex levitate, aut curiositate imagines, vel status exhibentes personas grandiores in partibus pudendis nudas, non excedere probabilis peccatum veniale; quia artificialia minus movet, quam naturalia. Dixi: Exhibentes personas grandiores; quia de infantibus videtur certum. Sicut enim aspectus infantis nudi nihil, aut parum movet, a fortiori aspectus ejus figuræ; & sic absque scrupulo passim exponuntur etiam in Templis.

Conficientes autem priores status, seu imagines obscenas personarum grandiorum, item eas exponentes aspectu, certo peccant mortaliter propter scandalum. Et ideo non semel miratus sum, eas exponi in hortis, vel aulis illorum, qui tamen aliunde videntur pii, & timorati, & quibus quandoque ex officio incumbit eas undequaque amovere.

Colliges 15. aspiciere ex levitate, aut curiositate comedias exhibentes turpia, gestibus, aut factis, probabilis esse peccatum mortale; quia id videtur grave veneris incentivum. Certo autem peccant mortaliter, qui eas exhibent, aut qui eas permittunt, dum possunt, & debent impedire, quales sunt Magistratus, Principes, &c.

Circa Turpiloquia.

Colliges 16. turpia loqui, audire, scribere, legere, canere, ex, seu cum affectu libidinoso, aut ad eum in audientibus, & legentibus excitandum esse mortale peccatum: ex necessitate, aut utilitate, puta ob doctrinam, ob veritatem Historiarum, superiorum informationem, morum correctionem, & similes justas causas nullum est peccatum. Ex curiositate, vanitate, levitate, recreationis propriae vel alienae causa, secluso, ut ante, scandalo, aut obscuro consensu in venerem, peccatum veniale. Ita quoad hanc ultimam partem S. Antonin. Cajet. Navarr. Tolet. & alii, quos citat & sequitur Sylvius q. 153. a. 5. Concl. 2. Ratio est; quia verba, aut scripturae, praesertim sic accepta, longè minus movent ad libidinem, quam tactus, aut aspectus. Hic intellege etiam litteras amatorias. Ratione autem scandali, lethalis peccati rei sunt, qui componunt, scribunt, vendunt comedias lascivas, narrationes amatorias, vulgo *Romans*, & similia scripta turpia, ex quorum lectione tot in dies animae pereunt.

Rectè monet Sylvius loco cit. concl. 2. non statim peccati mortalis accusandos esse eos, qui dum obscena audiunt aut legunt, ridet, & gaudere videntur, si revera non de ipsa re turpi rideant; sed solum de artificioso, aut lepido modo, vel rei, vel dictionis; aut descriptionis rideant, seu delectentur, vel etiam ne ab aliis irrideantur, aut conviciis lacesantur, id enim non excedit culpam venialem. Modò tamen per suum risum nulli sint scandalo, neque videntur auctoritate praebere verbis turpibus, aut ea cohonestare, neque velint aestimari, quod talibus oblectentur; nam, si aliquid horum adsit, peccabunt mortaliter.

Nota bene: quando in his omnibus tactibus, osculis, amplexibus, aspectibus, turpiloquiis, &c. contingit esse peccatum mortale, necessario explicandae sunt in confessione conditiones, sive peccantis, sive objecti, circa quod versabantur. Si enim mortaliter tetigisti, aut aspexisti conjugatam, pertinet ad adulterium; si consanguineam, ad incestum; & sic de reliquis. Pariter, si tu sis conjugatus, voto adstrictus, &c. Id quidam negant de aspectibus praesertim delectantibus absque desiderio operis; quòd non est omnino improbabile.

Huc usque de impudicitia inter solutos, nunc de eadem inter conjugatos pauca dicenda sunt. Sed antea petes, utrum sponsus de futuro aliquid plus liceat in hac materia, quam solutus? R. probabilis negativè. Unde sponsum, qui sponsam suam de futuro oscularetur honestè, sed affectu libidinoso, seu tangeret in secretioribus, non minus peccaret quam solutus; quia copula est adhuc illi illicita, proindeque ea, quae ordinatur ad illam, & sunt cum illa ejusdem rationis. Secluso tamen affectu libidinoso posset licite osculari, aut honestè tangere, ad fovendum honestum amorem in ordine ad matrimonium.

ARTICULUS XVII.

De impudicitia inter conjuges.

Variè possunt peccare conjuges circa finem & usum actus conjugalis; de quo in tractatu de matrimonio. Hic quero breviter de eorum impudicitia in tactibus, aspectibus, &c. Unde

Dico 1. Quaecumque oscula, tactus, amplexus, aspectus, turpiloquia libidinoso inter conjuges praesentes citrà periculum pollutionis, & intra terminos honestatis naturalis, sunt licita, si fiant in ordine & ex intentione copulae; sunt autem peccata dumtaxat venialia, si in eis sistatur, nec ordinentur ad copulam. Patet 1. pars: quia quibus est licitum principale, licitum est accessorium & medium ordinatum ad illud; atqui oscula, tactus, amplexus, &c. sunt accessoria ad copulam, & media ordinata ad illam, & haec est licita conjugibus: ergo. Quidam etiam non improbabiliè excusant ab omni culpa, si fiant ad fovendum mutuum amorem, qui est matrimonio valde necessarius.

Secunda Pars, quod sint peccata, si sola libidine sine ordine ad copulam fiant (quia tunc frustrantur ab agente suo sine naturali & debito). Tertia pars, quod sint tantum peccata venialia, est communis contra paucos, & prob. 1. Illa voluptas venerea non quaeritur extra matrimonium, sed in actu suapte natura ordinato ad copulam licitam, adeoque nihil ipsi deest, ut sit bonus, nisi circumstantia finis debiti ex parte operantis; atqui ex tali defectu non efficitur culpa plus quam venialis: ergo. Prob. Min. ex communi regula morali: excessus, seu inordinatus usus rei alias licite non est nisi venialis culpa, ut patet in ipso actu conjugali, qui, cum debeat exerceri propter generationem, exercetur propter voluptatem.

Theol. Billuart. Secunda Secundae.

Prob. 2. Matrimonium facit, ut copula habita propter solam voluptatem sit tantum venialis: ergo pariter facit, ut quae natura sua ordinatur ad copulam, non sint peccata.

Dices: ultra copulam non plus licet conjugatis quam solutus, cum finis matrimonii sit generatio, ad quam sola copula conducit. R. D. Ant. ultra copulam solitariè sumptam, N. Ultra copulam & ea, quae ad ipsam de se ordinantur & disponunt, ut sunt praefata, C. Cui enim licet principale, ut dixi, licet accessorium.

Repones: Supponitur in conclusione, ea fieri sine ordine ad copulam: ergo. R. D. Ant. sine ordine ex parte operantis, C. Sine ordine ex parte operis, N. Illa enim per se & independentè ab operante dicunt hunc ordinem.

Dixi intra terminos honestatis naturalis; quia tota illa indulgentia non est data conjugibus, nisi quatenus praedicta secundum naturam & rectam rationem ordinantur ad naturalem & humanum concubitum, undè magis, vel minus peccant, quo magis, vel minus hos limites transgrediuntur. Tunc autem solum censentur conjuges graviter transgredi hos limites, quando attentant, aut admittunt aliquid sodomiticum, vel agunt cum periculo pollutionis: extra hos duos casus, quantumvis actus sint turpes, non videntur excedere peccatum veniale.

Idemque videtur dicendum, quamvis copula foret conjugibus impedita ab extrinseco, scilicet propter impotentiam supervenientem matrimonio, aut propter periculum abortus in uxore partu vicina, aut propter Ecclesiae prohibitionem, v. gr. in marito, qui cognovit sororem uxoris suae: quia in duobus prioribus casibus praefati actus etiam tunc ordinantur ex natura sua ad copulam per se licitam, & tantum illicitam per accidens, a qua circumstantia extrinseca non videntur, cum ad copulam illicitam, nec ex natura rei, nec ex intentione conjugum, ut suppono, ordinantur. In tertio autem casu, cum talis Ecclesiae lex sit penaliter prohibens tantum copulam, non debet extendi ultra copulam, sed potius restringi.

Dixi 2. inter conjuges: undè dico 2. Tactus & aspectus libidinosi proprii corporis in uno conjugis, saltem altera parte absente, sunt peccata mortalia; est communis contra paucos.

Prob. Actus illi in homine solitario per se & ex natura sua ordinantur ad pollutionem, & non ad copulam, quia nihil censetur ordinari ad copulam, nisi inter conjuges fiat: ergo.

Confirmatur: Coniux non habet potestatem in corpus proprium ad usum venerorum nisi per accidens, scilicet ut hic & nunc possit copulari cum conjugis: ergo, extra casum & finem copulandi cum conjugis tales actus sunt illiciti.

Dixi: saltem altera parte absente: quia quidam volunt, quòd etiam praesente comparte tales actus, aut aspectus solitarii in uno conjugis sint mortales: sed distinguendum patet: vel coniux habet animum copulandi saltem casu, quo sit excitatus, vel non habet: si primum, non videtur mortales, quia tunc propter circumstantias & contiguitatem videntur inchoativè & in potentia proxima conjugales; & ad copulam referri; quae enim fiunt ex incontinentia, moraliter simili fieri censentur. Si secundum, non videntur actus conjugales, sed actus solitarii unius hominis per se ordinati ad pollutionem, adeoque peccata mortalia.

De delectatione morosa in conjugibus absentibus dixi artic. praecedente.

Parce, caste Lector, si huc usque tuos oculos & aures tot obscenitatibus oppleverimus. Ad id nos coegit maxime necessaria tum Confessoriorum, cum poenitentium instructio, in hac materia omnium frequentissima: quaedam lineae & inde excusamus a mortali, non ut impotentia passioni freno laxentur, absit, sed solas amore veri, & quia lepram a lepra distingui necessum est. Verum memento & alta mente repone, viam hanc undequaque esse lubricam, quam quis semel ingressus, quot gressus tot lapsus facit, ignem esse proditorium cuius minima scintilla saepe, eheu! saepius, magnum incendium causat. Fuge ergo dilecte mihi, fuge occasiones, non dico proximas, sed remotas & remotissimas; nihil in hac materia leve reputes, si gravia certo cavere cupias; fugere in hoc conflictu vincere est: fuge crapulam, fuge otium, fuge somnum prolixiorum, fuge cogitationes; aspectus, colloquia, consortia, quae spirant libidinem: mortifica membra tua, & fac Deo hostiam viventem: ipsum instantè & frequentè ora cum Propheta, ut creet in te cor mundum, & spiritum rectum innovet in visceribus tuis: Sacramenta Poenitentiae & Eucharistiae religiosè frequenta: Virginis singularis patrocinium devotè invoca, ut te culpis solutum, mitem faciat & castum. Amen.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Raptu filiarum Silo per Benjamitas.

Ad Artic. 4.

Narratur c. 2. libr. Judic. Quod, cum Tribus Benjamin bello penè excisa esset, exceptis sexcentis viris, qui in solitudinem fugerant, & omnes alii Israëlitarum juramento se obstrinxissent non dare illis filias suas in uxores: ne tamèn tota Tribus periret, & simul servaretur Religio juramenti, Primores Populi, quibus tunc Reipublice cura incumberebat, præceperunt Benjamitis, ut proxima solemnitate in Silo celebranda ex virginibus Israëliticis choros ducentibus tot raperent, quot ad copulanda conjugia, & redintegrandam Tribum essent necessariae. Quæstio est ergo, utrum hoc Benjamitarum factum fuerit raptus, & in eo peccaverint.

Dico: hoc Benjamitarum factum non fuit verus raptus, nec in eo peccaverunt Benjamitæ. Ità Lyranus, Cajet. Estius, Tirin. Menoch. Sylvius, & alii contra Abulensem. Probatur: Ad rationem veri & illiciti raptus requiritur, quod violentia sit injusta; sic enim intelligitur in ejus definitione, alioquin non foret injustus, proindeque nec raptus; atqui in facto Benjamitarum non fuit injusta violentia: ergo. Prob. Min. Benjamitæ id egerunt auctoritate publica, scilicet de mandato primorum populi, ut patet ex textu, penès quos

tunc erat auctoritas publica, & propter bonum commune ne scilicet tota Tribus Benjamin aliquin extingueretur: non enim Benjamitæ ducere poterant alienigenas lege prohibente, & aliunde omnes alii Israëlitarum juraverant se non daturus illis filias suas: ergo.

Dices: Benjamitæ fecerunt injuriam, tum Parentibus, qui habebant jus filias suas aliis tradendi, tum Puellis ipsis, quæ invitæ raptæ sunt ad Matrimonium: ergo. R. N. Ant. Posito enim, quod auctoritate publica jus factum fuerit Benjamitis filias Silonitas rapiendi, ii, utendo jure suo, nulli fecerunt injuriam proprie dictam. Insuper, quamvis tam puellæ, quam parentes fuerint invitæ in raptu, postea tamèn intellecta ratione restorationis Tribus Benjamin, utrique Matrimonio consenserunt, & verisimiliter antequam puellæ cognoscerentur a Benjamitis.

Repones: Saltèm Benjamitæ tali facto induxerunt Silonitas in perjurium; quia & ipsi juraverant cum aliis se non tradituros filias suas Benjamitis. Imò & ipsi primates id præciendo suum etiã juramentum violaverunt: ergo. R. N. Ant. Silonitæ enim non juraverant, quod non permitterent filias suas jungi Benjamitis, sed quod eas illis non traderent, spontè scilicet & libere, quomodo parentes tradere solent filias suas. Similiter primates & omnis populus non juraverant, quod nullo modo procurarent uxores Benjamitis, sed singuli de suis tantum filiabus juraverant, quod eas non traderent Benjamitis, ut patet ex textu. Quidam contendunt insuper, eos tali juramento non fuisse obstrictos.

DISSERTATIO VII.

DE PARTIBUS POTENTIALIBUS TEMPERANTIÆ,

ET VITIIS OPPOSITIS.

Div. Thom. Quæst. 155. ad 170.

Partes potentiales alicujus virtutis dicuntur, ut patet ex dictis, quæ ejus modum imitantur in quibusdam materiis secundariis. Temperantiæ partes potentiales numerantur a D. Th. Continentia, Clementia, Mansuetudo; Modestia, cujus sunt quatuor species, scilicet Humilitas, Studiositas, Modestia morum exteriorum corporis, & Modestia externi apparatus; de quibus & vitiis oppositis succinè dicemus in præsentî dissertatione, quæ finem imponet tractatui.

ARTICULUS I.

De Continentia & Incontinentia.

Petes 1. Quid sit Continentia? R. Continentia, relictiis variis acceptionibus, consideratur hic moralitèr, prout importat firmitatem voluntatis, re ad illicita diffultu. (Q. 155. a. 4. ad 1.) Et sic considerata, si sumatur generalitèr, est abstinencia ab omni re illicita; (Ib. a. 1. o.) si specialitèr, est firmitas voluntatis, qua quis resistit quibuscumque pravis concupiscentiis, quæ in eo vehementes existunt. (Ib. a. 2. o.) Et quia concupiscentiæ secundùm tactum alimentorum, & maxime venereorum sunt vehementiores & difficiliius superabiles, eo quod magis sequuntur inclinationem naturæ in conservatione individui & speciei, ideo continentia proprie dicitur *Dispositio voluntatis, qua resistitur pravis concupiscentiis circa tactum*; hoc est, circa alimenta, sed & maxime circa venerea. (Ib. ad 1. 2. 3. & 5.) Undè, qui resistit passionibus in materia temperantiæ, præsertim in veneris, dicitur simpliciter continens; qui autèm resistit passionibus in aliis materiis, non dicitur continens simpliciter, sed secundùm quid, ut continens iræ, continens avaritiæ, continens honoris, &c. (Ib. a. 1. o.) Quidam etiã continentiam nominant, per quam quis ab omni omnino delectatione venerea etiã licita abstinet; undè Ap. ad Galat. 3. continentiam castitati conjungit; sed hæc coincidit primariò cum virginitate, secundariò cum viduitate.

Petes 2. Utrum continentia proprie dicta sit virtus? R. (Ib. a. 1. o.) Continentia habet aliquid de ratione virtutis in quantum per eam firmatur ratio contra passiones, ne ab eis deducatur; non tamèn attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundùm quam etiã appetitus domatur & subditur rationi, sic ut in eo non insurgant tam vehementes, & tam frequentes passiones rationi contrariæ. Largius tamèn accipiendum nomen virtutis pro principio laudabilium operationum possumus dicere continentiam esse virtutem. Itaque

(Ib. a. 4. o.) differt continentia a temperantia sicut imperfectum & inchoatum a perfecto & completo. Temperantia enim appetitum sensitivum rationi subicit & quasi edomatum tenet, continentia illi insurgenti & adhuc reluctanti resistit. Bonum rationis per Temperantiam usque ad appetitum descendit, per continentiam in voluntate sedit, ut patet ex petitione sequenti: vicit temperans; pugnat adhuc continens. Undè, non male a quibusdam comparatur continens illi, qui feras agrestes cicurandas accipit, temperans illi, qui eas cicuravit. Idem dic de continentia secundùm quid respectu aliarum virtutum. Hæc tamèn non sic intelligenda sunt quasi temperans nullus amplius sentiat rebellis concupiscentiæ motus; contrarium enim probant exempla Sanctorum, etiã ipsiusmet Apostoli, & juxta Trid. sess. 5. concupiscentia remanet ad agonem in hac misera vita. Sed sic sunt intelligenda, quod in temperato regularitèr nec tam vehementes, nec tam frequentes exurgunt motus, & saltèm insurgentes facilius & perfectius comprimantur, quatenus per habitum temperantiæ appetitum sensitivum rationi subiectum tenet. Exurgunt tamèn adhuc sæpè, eheu! sæpius sive ab extrinsecis, puta ab objectis, ab alimentis, aut arte dæmonis, sive ab intrinsecis fomite, qui, ut dixi ex Trid. relinquuntur ad agonem.

Petes 3. Utrum continentia subiectur in voluntate, an in appetitu sensitivo? R. (Ib. a. 3. o.) Non subiectur in appetitu sensitivo, sed in voluntate. Quia omnis virtus in aliquo subiecto existens facit illud differre a dispositione, quam habet, dum subiectur virtus opposita; atqui appetitum sensitivum eodem modo se habet in eo, qui est continens; & in eo, qui non est continens; quia in utroque prorumpit ad concupiscentias pravas vehementes: ergo continentia non subiectur in appetitu sensitivo, sed in voluntate, quæ per continentiam disponitur, ut eligat resistere concupiscentiis pravis, a quibus se vicini colligit incontinentens. Vide Cajet. in hunc articulum. Ex dictis conicitur a contrario, quid sit incontinentia. Pro quo vide, si lubet, Auctorem q. 156.

ARTICULUS II.

De Mansuetudine, & Ira.

Petes 1. Quid sit Mansuetudo? R. (Q. 157. a. 1. & 2. o.) Mansuetudo est virtus moderatrix iræ. (Ib. a. 3. o.) Est pars potentialis temperantiæ; quia, sicut temperantia con-

consistit in refrænatione concupiscentiarum vehementissimarum cibi & venereorum; ita mansuetudo in refrænatione concupiscentiæ minus vehementis, scilicet iræ. Dicitur autèm pars potentialis alicujus virtutis, quæ illam imitatur in aliquibus materiis secundariis quantum ad modum, ut dictum est.

Petes 2. Quid sit ira, & an sit semper mala? R. (Q. 158. a. 1. o.) Ira est passio appetitûs sensitivi, a qua vis irascibilis denominatur. Desinitur *appetitûs vindictæ*. Undè, cum vindicta possit bonè, vel malè appeti, ira de se neque est mala, neque bona, sed quod indifferens, quo bonè, vel malè uti possumus. Si ergo vindicta appetatur secundùm rectam rationem, ira est bona, & laudabilis, imò & naturæ utilis ad sui conservationem; quemadmodum enim amoris passio inest homini ad prosequendum bonum conveniens; ita passio iræ ad propulsumum malum disconveniens, ne in eo repellendo natura peroscat; undè illud Ps. 4. *Irascimini, & nolite peccare*.

Dices: Ira turbat rationem, & rationis iudicium impedit ergo. R. D. Ant. (Ib. ad 2.) Ira antecedens turbat, &c. Ira consequens, N. Itaque ira dupliciter se habere potest ad iudicium rationis: uno modo antecedentèr, & sic illud impedit, atque obnubilat, si dum advertitur, non colibeatur intra limites rationis, & dicitur ira per vitium. Alio modo consequentèr, quatenus, postquam ratio deliberavit, ac ordinavit de vindicta, tunc insurgit ad ejus executionem; & hæc ira est bona, & dicitur ira per zelum, nec impedit iudicium rationis, & sanum consilium, in quod jam præcessit, & a quo procedit, sed e contra juvat ad promptiorem ejus executionem; & quamvis in executione aliquatèr rationem turbet, & ejus quietem impedit, quia tamèn concurret ad exequendum id, quod justum est, nec tollit ordinem rationis, qui ex præcedente iudicio stabilitus est, non imputatur vitio, sed virtuti, non est enim contra rationem virtutis, ut intermittere deliberatio rationis in executione ejus, quod est a ratione deliberatum, sicut patet in arte, quæ impeditur in suo actu, si dum debet agere, deliberaret de agendis. Nec etiã refert, quod ratio sit præstantius bonum in homine; non enim quod est non nihil impeditivum ad horam boni præstantioris, est semper malum, sed quandoquè melius; sic contemplatio est præstantior actione; quandoquè tamèn actio, qua impeditur, in aliquo casu est melior.

Petes 3. Quandoquæ ira sit peccatum? R. (Ib. a. 2. o.) Ira est peccatum, quando non coninetur intra limites rectæ rationis, & vocatur proprie iracundia: quod contingit dupliciter, scilicet ratione objecti, & ratione modi. Ratione objecti, nempe vindictæ, quam appetit, si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra, quam meruit, vel contra ordinem Juris, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, sed ex odio. Ratione modi, si nempe motus iræ immoderatèr effervescat sive interius, sive exterius, etiamsi aliunde appetatur iusta vindicta.

Non est tamèn æstimandum, motum iræ esse immoderatum, præcisè quia magnus est, & gravis; sed quia excedit dictamen rationis atenta qualitate culpæ, conditione peccantis, & aliis circumstantiis. Etenim Christus gravi ira commotus fuit, quando negotiatores flagelo eiecit de templo. Joann. 2. Mathathias commendatur, quod, videns Judeum Idolis sacrificantem, accensus furore, illum trucidaverit; quia in his casibus recta ratio exigebat gravem iram. E contra Heli reprehenditur, quod in filios gravitèr delinquentes minori ira commotus fuerit, quia majoris in hoc casu exigebat recta ratio.

Petes 4. Utrum ira vitiosa sit ex genere suo peccatum mortale? R. (Ib. a. 3. o.) Ira vitiosa ex parte objecti est ex genere suo peccatum mortale; quia contrariatur Charitati, & Justitiæ. Potest tamèn esse veniale, vel ex imperfectione actûs, vel ex levitate materiæ, ut si vindicta injusta, quæ appetitur, sit levis, & quod si actu inferretur, non esset peccatum mortale; puta, si aliquis parùm trahat puerum per capillos, aut aliquid hujusmodi. Ira vitiosa ex parte modi (Ib. id.) non est ex genere suo peccatum mortale; quia excessus in passione aliunde indifferens, ut est ira, non excedit culpam venialem. Potest tamèn fieri mortalis, si nempe ita sit vehemens, ut vel signis exterioribus, puta spuma, clamoribus inconditis, contorsionibus, enormitèr dehonestet imaginem Dei creaturam nempe rationalem, vel necet gravitèr valetudini, vel grave scandalum generet, vel ex ea iratus sit ad peccatum mortale animo paratus.

Dices: omnis ira meretur damnationem æternam: Dicit enim Dominus Matth. 5. Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, quod intelligitur de iudicio æternæ damnationis: ergo. R. (Ib. ad 2.) Quod Dominus loquitur ibi de motu iræ, quo quis appetit proximi occisionem, aut quancumque gravem lesionem; quo etiã sensu ibi dixit:

*Qui dixerit fratri suo, RACA: reus erit concilio. Qui autèm dixerit fratri suo, FATUE: reus erit gehennæ ignis; scilicet ex ea ira, qua mortem illius desiderat, & intendit. Ostendit enim ibi Dominus, non solum homicidium externum esse peccatum mortale in iudicio divino, sed & iram, qua quis proximi mortem optat, cujus ponit tres gradus: primum, quo quis simpliciter internè irascitur; secundum, quo quis exterius iram manifestat erumpens in voces inordinatas, & confusas indignationis; Raca enim nihil determinatè significat, nisi motum indignantis; tertium, quod erumpit in contumeliam apertam, & determinatam, ut *Fatue*; & tandem ipsum homicidium factò completum, seu quodvis aliud grave nocementum.*

Petes 5. Utrum ira sit majus peccatum, quàm odium, vel invidia? R. (Ib. id. a. 4. o.) Ira secundùm se, & ex parte objecti esse minus peccatum, quàm odium, & invidiam. Quia, quamvis ira cum odio, & invidia in hoc conveniant, quod malum proximi appetant, in hoc tamèn differant, quod odium appetat malum proximi qua malum, & eo sine ut illi malè sit, id enim apprehendit ut sibi bonum: invidia tristatur de bono proximi, quatenus ex eo videtur propria excellentia obscurari, ideoque etiã malum ejus appetit, scilicet privationem istius boni, ut suam existimationem servet illibatam, proindeque ex affectu proprii boni, nempe propriæ gloriæ; ira autèm appetit malum proximi sub imagine, & specie justæ vindictæ, nullus enim est irascens, qui non prætentat, etsi falsò, iræ suæ justam causam, qua se excuset; atqui pejus est appetere malum sub ratione mali, saltèm mediatè, quàm sub ratione boni, & pejus est appetere malum sub ratione boni exterioris, quod est vana gloria, quàm sub ratione rectitudinis Justitiæ: ergo. Et ex ea parte etiã ira est minus peccatum, quàm concupiscentia; quia melius est bonum Justitiæ, quod appetit iratus, quàm bonum delectabile, vel utile, quod appetit concupiscentia. Ex parte verò modi irascendi (Ib. id.) ira habet specialem inordinationem præ assignatis vitiis, propter vehementiam, & velocitatem sui motûs: indè enim clamores inconditi, verba exerrantia, gestus indecentes, os spumans, membrorum contorsiones, totius corporis enormis, & noxia commotio; juxta illud D. Greg. 5. Mor. c. 31. *ira suæ stimulis accensus cor palpiat, corpus tremit, lingua se præcipit, facies igestis, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur nosi*.

Petes 6. Utrum ira sit vitium capitale? R. Affirmativè. (Ib. a. 6. o.) Quia hoc vitium dicitur capitale, ex quo multa vitia exoriuntur; atqui habet hoc ira, quod ex ea multa vitia oriri possint duplici ratione. I. ex parte sui objecti, quod multum habet de ratione appetibilitatis, in quantum scilicet vindicta appetitur sub ratione justæ, vel honesti, quod sua dignitate allicit; alio modo ex suo impetu, quo mentem ad inordinata quæcumque audenda, & agenda præcipitat.

Petes 7. Utrum convenienter assignentur sex filiae iræ, scilicet indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, blasphemia, & rixa? R. Affirmativè ex S. Greg. I. 31. Moral. c. 31. (Ib. a. 7. o.) Ratio est, quia ira potest tripliciter considerari. Uno modo secundùm quod est in corde, & sic ex ira nascuntur duo vitia: unum quidem ex parte ejus, contra quem homo irascitur, quem reputat indignum, ut sibi tale quid fecerit: & sic ponitur indignatio. Aliud autèm est vitium ex parte sui ipsius, in quantum excogitat diversas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum suum replet: & sic ponitur tumor mentis. Alio modo consideratur ira, & secundùm quod est in ore: & sic ex ira duplex inordinatio procedit; una secundùm hoc quod homo in modo loquendi iram suam demonstrat, & sic ponitur clamor, per quem intelligitur inordinata, & confusa locutio, ut *Raca*, de quo supra. Alia etiã est inordinatio, secundùm quod aliquis prorumpit in verba injuriosa, quæ si sint contra Deum, erit blasphemia; si contra proximum, contumelia. Tertio modo consideratur ira, secundùm quod procedit usque ad factum; & sic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ factò proximis inferuntur ex ira.

Petes 8. Utrum sit aliquod vitium oppositum iræ per defectum? R. Affirmativè: (Ib. a. 8. o.) quia, sicut laudabile est ex iudicio rationis infligere penam, quando, & quomodo infligi debet, ita vituperabile est non infligere, quando, & quomodo debet infligi. Hoc autèm vitium caret proprio nomine; sed potest dici vacuitas iræ, seu indiscreta patientia, & solida indulgentia, quæ bono communi est maxime nociva, utpote qua fovetur crimina. Inter hoc vitium, & iram mediat mansuetudo, utriusque moderativa.